



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Gallia Vindicata, In Qua Testimoniis Exemplisque
Gallicanæ Præsertim Ecclesiæ, Quæ Pro Regalia, Ac
Quatuor Parisiensibus Propositionibus A Ludovico
Maimburgo, Aliisque producta sunt, Refutantur**

Sfondrati, Celestino

[Ort nicht ermittelt], MDCLXXXVIII.

5. Romani Pontificis in tot malis curæ, & quas ob causas, &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38277

nihil attinet dicere, se ipsis enim clariora sunt, quam, ut exponi debeant, & fortè in locis Catholicæ Religionis sacris nihil simile antiquitas vidit, saltem nihil pejus. Nova, gravisque servitus Ecclesijs imposita; termini, quos Universale Concilium posuerat, submoti: anathemata, quæ idem Concilium infixerat, contempta: quatuor sæculorum possessio, quæ pessimam etiam causam tueretur, turbata: Canones Sacri, imò totum Concilium Lugdunense prophanis tribunalibus ad stare iustum, ibique ut Parlamento videretur, causam dicere: Episcopi nec clementius, quam si prophani essent, habiti, nullâ ætatis, sacrique ordinis reverentiâ: in Clerum verò, Deique servos velut in plebem, prædâ, exilijs, carceribus sævitum: putâs antiquas persecutiones fervere, nisi quòd in istis plus sanguinis funderetur, in illis plus dedecoris. Illud verò quale spectaculum fuit, Sacerdotem, & Proepiscopum coram seculari Magistratu ab Archiepiscopo accusatum, & quamvis innocentem omnes agnoscerent, damnatum, percussumque Carnificis manu? nam quòd simulacrum, non ipse reus ceciderit, nihil flagitium mitigavit, infamiâ poenam supplente. Additæ Sacrarum Virginum vexationes, adempta electio, Regulæ turbatæ, intrusa invitæ Antistita, claustra, forsq̄ violatæ, migrationes ad laxiores ordines permittæ, quæ tamen omnium consensu soli Pontifici Romano reservantur, ejusdem Pontificis monita, minæque insuper habitæ, & denique in Conventu Parisiensi omni retrò Antiquitati, Canonibus, Concilijsque etiam Generalibus bellum indictum, perinde, ac si paucis Episcopis jus esset totam Ecclesiam turbandi, evertendique quatuor propositionibus, quæ Concilia Generalia exemplo, & doctrinâ stabiliverant, nec aliâ ratione id factum, quàm ut Pontificis curas, à quo paternè monebantur, aliò averterent, bello domi accenso.

V. Suspirabat ad hæc Romanus Pontifex, & tempus, quod dolori supererat, quærendis remedijs aptabatur. Dissimulatum diu, si fortè, ut fieri solet, malum dilatione, moraque languesceret; neque hoc ignaviæ, aut timoris, sed providentiæ fuit; quædam enim silentio curantur, præsertim ubi pudet fecisse. Sed cùm malum ingravesceret, additæ paternæ monitiones, quæ Regi, & Episcopis rei enormitatem ostenderent, & par animæ periculum,

nisi

nisi abfisterent: & quamvis eæ litteræ spirarent libertatem Pontifice dignam, & omni fortunâ majorem, tantundem amoris addebatur, temperatâ Majestare: cum nec istæ proficerent, aliæ securæ minis permixtæ, nec tamen nimie: rescissa acta, appellationes receptæ, Rex officij, & exempli Majorum admonitus, Episcopi objurgati, quod Ecclesiæ causam deseruissent, timore, ut ipsi fatebantur, & conniventia victi, & denique, quæ pro Regalia decreverant, obliterata, quippe metu expressa, & supra Episcoporum potestatem. Quid minus fieri poterat, post tam multa, indignæque commissa? Sed clementia Pontificem morabatur, & spes meliorum, præsertim Rege non suo, sed aliorum consilijs errante; & tamen ausi sunt aliqui tam benignum, parcèque severum, nimie severitatis postulare, nec alia causa fuit in ultimo Parisijs Conventu, ejus auctoritatem, si possent, exarmandi, quàm quod nimis minacem crederent, an potius credi vellent quæsito aut vindictæ, aut impunitati colore? Cæterum quàm injustæ querelæ fuerint, facile constabit, quæ à nobis dicta sunt, animo reputanti. Conferantur solum, quæ Romæ, quæque in Gallijs agitata sunt, & quanta hic moderatio, illic, ut modestissimè loquar, impetus fuerit, patebitque, utra pars materiam querendi habuerit, quæ plagam intulit, an quæ accepit? Regaliam, ejusque substantiam quod attinet, nihil Episcopi opponerant Innocentio Pontifici, imò nec poterant, iisdem enim principijs nitentur: *Regaliam ex tolerantia Ecclesiæ, non jure aliquo Regio provenire: esse servitutem canonica, & naturali Ecclesiarum libertati oppositam; & ideo à Concilio Ludunensi ad loca, ubi hæcenus inoleverat, restricta, nec extendi à Regijs posse, sed solo Ecclesiæ consensu.* (a) Hæc, inquam, etiam Galliæ Episcopi fatebantur, ut videre est ex illis, quæ in Conventu paucorum Episcoporum primus Commissarius Parisijs disseruit: & in alio pleniore Conventu, ubi Regalia, ejusque extensioni subscriptum est. In epistola ad Romanum Pontificem data, hæc inter alia Episcopi habent: (b) *Existimavimus ad nostrum officium pertinere, aliquam in re rationem tollendi de medio gliscantis dissidij; nulla*
verò

(a) Conventus Paris. Majo Anno 1681. habitus. Breve Innoc. XI. ad Episc. Galliæ circa fin. Regale Sacerdotium. fol. 32. Lettera ad un Vescovo dell'assemblea Generale de l Clero di Francia. 10. Aug. 1681. fol. 5. (b) V. Breve Innoc. ad Episcopos Galliæ die 11. April. Anno 1682.

Gallia
Vindicata
G II
230

verò apparuit commodior utili condescensione canones temperandi; propterea nos jure nostro decedentes, illud in Regem transfulimus. Ubi apertè supponunt, Regaliæ extensionem canonibus prohiberi, eaque jura Episcoporum violari, quibus tamen cedere Episcopi velint, pacis inter Ecclesiam, Regemque conciliandi causâ. Hæc ipsa fuit, ut supra vidimus, omnium retrò Galliæ Episcoporum sententia, non tantum, qui in Concilio Lugdunensi sedere, quique terminos Regaliæ statuerunt, audiente, nec oblucente Philippo Audaci, (qui nunquam id passus esset, si Regaliam sui juris credidisset) sed omnium aliorum, qui semper Parlamentis Regijs, cum proferre hoc jus vellent, obstitere, viceruntque. (a) Ergo, ut diximus, substantiam Regaliæ quod attinet, Romæ Galliæque una sententia Episcoporum fuit, nisi quod isti Parlamento, Regique cesserunt, sive is metus, sive obsequium fuit. Totum ergo certamen circa modum, formam procedendi scribendique vertebaratur, & quædam alia, quæ Vicarios Apamienses, & Sanctimoniales Caronenses spectabant; nam Galli, cum acie victoriam desperarent, manipulos, & impedimenta carpebant.

Querebantur: Romanum Pontificem nec vocato, nec audito Tholosano, Vicarios à Capitulo Apamiensi electos confirmasse, & qui deinceps eligerentur, confirmaturum spondidisse: eundem diris percussum non observatis formis, qua hujusmodi pontis præmiti in Gallia solent: ejusdem Tholosani jura in Ecclesiam Apamiensem aut diminuta, aut impedita, Vicarijs, quos elegerat, in ordinem redactis, alijsque, que decreverat, Roma abolitis. In negotio quoque Sanctimonialium Caronæ Papam festinasse sententiam omisso medio, nec Archiepiscopo pramonito: debuisse ex præscripto Concordatorum Judicem in partibus delegari, non Romæ sententiam finire: sic etiam ejusdem Monasterij Matrem Romæ confirmatam esse, non Parisijs: imò Archiepiscopum ejus loci Ordinarium præteritum fuisse: ergo non regiâ viâ, sed per abrupta Romæ procedi. Sed & nimis pronas Pontificis aures esse excipiendis querelis: narratum Romæ, creditumque Caronæ fractas Monasterij fores, & Antistitam armis, ac vi inductam; sed id vanissimum esse: id potius mirandum, Pontificem Romanum rebus maximis debitum minutijs detineri, ac vixu feminarum onerari, tanto fastigio indignis; Confessarij has curas, non Pontificis esse. Hæc Parisijs, & Tholosæ dicebantur, non quia vera,

(a) Clerus Gallicanus Parlamento Regaliam extendere volenti obstitit Anno 1577. & Anno 1583. & 1606. & 1608. & 1629. & 1635. V. M. de Pamiers à fol. 37.

vera, sed quia aulæ grata. Addebant aliqui: aliud esse Pontificis Personam, aliud Dignitatem; hanc omnem culpæ expertem, & supra omnem venerationem: illam naturæ humanæ conditionibus, & nebulis affici: ignorantia, affectibus, privatisque studiis rangi, & idèd sicut errori obnoxiam, ita nec semper oraculi loco esse. Sed facilis ad hæc omnia responsio. Archiepiscopum Tholosanum nec vocari, nec audiri oportuit, re aliàs clarâ, & quam ipse ferebatur. Constabat mortuum Episcopum Apamiensem, Capitulum intra octo dies convenisse, collatisque suffragijs Vicarium Ecclesiæ dedisse: constabat etiam alios Vicarios à Tholosano suffectos: nec minus certum erat, nullo jure id ei permissum, nisi Capitulo aut malitiâ, aut ignaviâ cessante, sed neutrum contigerat: quæ enim ignavia, cum continuè elegerint? aut quæ malitia, cum optimos? nec alterius culpæ à Tholosano postulabantur, quàm quòd aulæ, & Patronis Regaliæ displicerent. Cum ergo omnia constarent, & ipse fateretur, quid vocari illum, audiri que oportebat? & fortè nec vocatus responderet; nam & litteras à Pontifice acceptas nec responsò dignatus est; quid ergo interrogares non responsurum? dedecori parum: præsertim cum ejus calamo uteretur, qui objurgando Pontifici eloquentiam suam probabat; tanta illi modestia! Sed & Archiepiscopus Fortassinum, aliòsque Vicarios suffecerat, nec vocato, nec audito Capitulo Apamiensi; quæ ergo verecundia fuit, velle Pontificem ijs legibus obstringere, quas ipse respuebat? Sed & illud fabulæ, & ludo propinquum: quebatur hoc Pontificis Decreto Ecclesiam Apamiensem Vicarijs destitui, qui Viduam gubernarent; & interim Vicarios à Capitulo legitimè electos persequebatur, movebátque officijs, imò morti addicebat, cunctantibus iudicibus conscientia præpeditis. Cujus ergo culpa erat, Ecclesiam Vicarijs carere? Tholosani legitimè electos persequentis, an Papæ eosdem tutantis? Quòd verò Pontifex rescripserit, *Se, quos Capitulum eligeret, deinceps confirmaturum*: pariæquitate nitebatur; cur enim non posset promittere, quod poterat facere, imò quod tenebatur? Tholosano enim non tantùm electos non confirmante, sed etiam persequente, quis alius præter Pontificem confirmaret? nam si qui alij erant, Tholosano adhærebant in aula præpotenti: & si jus Ecclesiæ Apamiensi Vicarios

N statuendi

Callia
Vindicata
G III
230

statuendi ad Tholosanum devolvebatur, Capitulo negligente; quanto magis jus confirmandi ad Pontificem redibat, Archiepiscopo, aliisque non solum negligentibus, sed etiam odio iraque flagrantibus? Nihil ergo æquius fuit, quam Pontificem Archiepiscopo, si non præferre, at saltem æquare, & jus devolutionis quod huic, etiam illi præstare, eo solum discrimine, quod Pontifex summo jure id peteret, Archiepiscopus nullo. Quod de Archiepiscopo divi percusso dicebatur, somnium erat, aut potius juris male intellecti ignorantia; Pontifex enim non inflixerat censuras, sed tantum intentaverat, nec præterita, sed futura memorabat: verba Brevis Apostolici sunt: *Districte, & in virtute sancte obedientie prohibemus, ne in posterum sub poena excommunicationis, &c.* Quæ omnia excommunicationem significant comminatoriam, non verò actualem, aut latae sententiæ: quis verò nescit alias esse cautelas, formæque ad inferendam, & comminandam censuram? & veniam merentur aulam potius, quam Canonum intelligentes, si maluissent ignorata tacere, quam edicere; sed festinatio declamandi, demerendique Archiepiscopum attentationem turbabat. Illud æquè vanum: *Diminuta fuisse Archiepiscopi jura, & quæ ipse decreverat, Roma abolita.* Nullum enim in Apamienses Archiepiscopo jus erat, nisi malitia, aut negligentia ostenderetur; sed neutra ostendi poterat; non ergo minuebantur, quæ nunquam fuerant: quæ verò contra Canones peracta, prius abolita sunt, quam Romam devenissent; quippe suis inijs, & semper irrita: nec Pontifex Romanus abolere se illa dixerat, sed appellationes admisisse. (a) Et planè si quis animum in ea intendat, quæ Apamijs contingere, moderationem potius in Romano Pontifice, quam severitatem mirabitur; nec verò id novum est, ut ad Romanum Pontificem Galli appellaverint, sic enim S. Leo Papa ad Episcopos Provinciæ Viennensis loquitur: (b) *Nobiscum vestra Fraternitas recognoscat, Apostolicam Sedem pro sui reverentia à vestra etiam Provinciæ Sacerdotibus innumeris relationibus esse consultam, & pro diversarum (quemadmodum antiqua consuetudo obtinebat) appellatione causarum aut retractatis, aut confirmatis fuisse judicia.*

Quæ de festinata sententia, neglectoque ordine in negotio Carronenfi dicuntur, eadem facilitate refelli possunt: Septem

(a) Breve Apost. Calend. Jan. 1680. (b) S. Leo ad Episcopos Vienn. epist. 89.

ferè annos expectatum Romæ est, dum illi Monasterio, ab ijs, qui turbaverant, pax redderetur, & hæc festinatio dicitur? quot ergo annis expectandum erat, ut modesto nec citato gradu incedere Pontifex diceretur?

Sed turbatus est ordo: enim verò nunquam minùs: factum in aperto erat, & in conspectu Urbis Regiæ patratum: septem annos vexatio duraverat: nec lis inter privatos pendebat, sed ipsi Papæ intentabatur; hujus enim est sacras fundationes, & Regulas mutare, & Religiosos ad Monasteria transferre laxioris disciplinæ: ipsa Monasterij Antistita negotium in manus Pontificis deposuerat, à quo Bullas, & confirmationem expectabat premebatque: & denique Archiepiscopus Parisiensis tantùm abest, ut Matrem eligi pateretur, electamque confirmaret, ut potiùs electiones impediret, & extraneam intruderet. Ex quibus efficaciter concludas, non debuisse Pontificem Parisiensis Archiepiscopi, ejusque asseclorum consensum, & sententiam expectare: tum quia frustra expectaret, cum hi maximè obstreperent: tum quia in re tam patente sententiæ, & vota aliorum necessaria haud erant, quæ in dubijs tantùm adhibentur: tum quia ipsæ partes negotium jam Pontifici detulerant, à quo Bullas, & confirmationem petebant; cur ergo Pontifex ab aliorum sententijs penderet, causâ suo Tribunali jam oblatâ? & denique cum negotium ex majoribus esset, nec possèt nisi Pontificiâ auctoritate componi, nec partes id negarent, quæ Romani propterea in clamabant; quid opus erat aliena Tribunalia morari huic causæ longè imparia? non ergo Pontifex ordinem turbabat, sed Galliæ Episcopi, qui causas soli Pontifici reservatas, suis, Regijsque Tribunalibus sistebant. Quòd verò dicerent: *Parvi momenti has causas esse, & Pontifice indignas*; planè ostendebant, quàm malè animarum pretia æstimarent. Mutuis dissidijs, odijque Virgines Carronenses deflagrabant, & ut fieri solet, orationi, disciplinæ, charitati, aliisque virtutibus Christiano, & Religioso dignis nullus locus supererat, sed omnia factionibus, partiumque studijs fervebant, pari scandalo, & animarum clade: & hæc parvi momenti essent, & indigna, ut à Pontifice curarentur? si in Gallijs una urbs, aut castrum periclitaretur, quantus illic armorum strepitus, & turbæ essent, omnibus auxilium festinantibus? Et quòd in litteris nuper

Gallia
Vindicata
GII
230

nuper à Pontifice ad Regem scriptis duo tréve apices acriores viderentur, quantum in aula, in Senatu, & ab Episcopis declamatum est? Veniam ergo Pontifici dabunt, si quantum illi castrum, & apices, tantum ipse animas curet; nisi fortè inter libertates suas etiam illud reponant, ut videlicet animabus perire volentibus, non liceat Pontifici subvenire. Cæterum si negotium Caronense tam parvi, ut dicunt, momenti fuit, cur ergo tam ardente, & tot annis Archiepiscopus Parisiensis illud persecutus est, Regemque implicuit? an verò puderet Pontificem defendere, quod illos non pudebat invadere?

Quòd verò inter Personam Regnantis Pontificis, ejusque Dignitatem distinguerent, & huic omnem venerationem, non illi promitterent, utpote erroribus, & natura defectibus obnoxia; planè responsum haud meretur; omnes enim Regnantes hæc criminatio petit: an simili obtentu non etiam sui Regis imperia eluderent? imò quia Dignitas, & Persona conjunguntur, ob reverentiam Dignitatis etiam defectus Personæ ferendi sunt, & huic obsequium debetur illius merito; alioquin nulla amplius obediendi necessitas fuerit, si conditio naturæ Majestati, & Imperijs officiat. Non hæc sensa Carolo Magno, non hic animus fuit, cujus virtutes parcius aliqui imitantur, quàm laudant; is enim in Legibus ad omnes Provincias suas missis ita loquitur: (a) *In memoriam B. Petri Apostoli honoremus sanctam Romanam, & Apostolicam Sedem, ut quæ nobis Sacerdotalis Mater est Dignitatis, esse debeat Ecclesiastica Magistra Rationis. Quare servanda est cum mansuetudine humilitas, ut licet vix ferendum ab illa sancta Sede imponatur jugum, tamen feramus, & piâ devotione toleremus. Quæ ita à nobis dicuntur, ut locum habeant etiam, cum vita Pontificis dignitati haud respondet; quid ergo dicendum erit, ubi Sanctitas vitæ dignitati sociatur? quòd in moderno Pontifice ne hæretici quidem diffitentur: non est animus mihi virtutes Innocentij in has chartas deponere, quippe impar materiæ, & modestiæ gravis futurus, ac silentio venerari, quàm clamore, & pompâ solitus: ipsa tantum Gallia audiat: Hujus Pontificis solida pietas, & suci expers: ardor dilatandæ fidei conservandæque disciplinæ Ecclesiasticæ: morum integritas: idem sibi que similis gubernandi tenor, procul omni quæstu, & cupiditate, nec in carnem, ac sanguinem pronus, &c.* Hæc Galli

(a) Naucler. Generat. 28. Concil. Tribur. cap. 3. & habetur d. 19. cap. 3.

Galli humanissimo elogio. Si ergo tanta est moderni Pontificis Sanctitas, æquitásque, quantam vel ipsi Galli profitentur, quid opuserat inter dignitatem, & Personam distinguere, quasi ista non illam sustineret? Num ergo sanctus hic Pontifex, & incorruptus tunc solum imperfectus esse incipit, cum Gallos perstringit? Sed Innocentio à Gallis evenit, quod Paulo à Galatis: *Sicut Angelum DEI excepisti me: testimonium enim perhibeo vobis, quia si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi; sed inimicus factus sum vobis vera dicens.*

§ V.

Rationes in Regaliæ patrociniū à Gallis productæ, & refutatæ.

SUMMARI A.

1. *Jus Regalia non est Corona Gallica ingenitum, ut Politici volunt.*
2. *Falsóque supponi ad ea jura, quæ nec præscribi, nec alienari possint, pertinere.*
3. *Nihil Regalia suffragari Gallia Concordata.*
4. *Nihil jura feudi.*
5. *Nec etiam jus Patronatús.*
6. *Multóque minús Beneficia à Regibus Gallia in Episcopos, & Ecclesias collata.*

I.

Memoriã reperentem, quæ ex una parte contra Regaliam ex Concilijs, & Ecclesiæ Gallicanæ, imò Regum ipsorum sensu, usúque à me supra producta sunt; ex altera verò quanto studio, ac contentione in Gallijs pugnatum pro illa sit, admiratio subibit, quænam tandem rationes

N 3

(a) Ad Galat. 4.

Gallia
Vindicata
G II
236